



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Maximiliani Sandaei E Societate Iesv Doctoris Theologi Architectura Christiana

Sandaeus, Maximilianus

Coloniae Agrippinae, 1653

2. Fides, quia Hypostasis, & substantia rerum sperandarum est
Fundamentum Aedificij Spiritualis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46065)

aclumen, quo illustratus homo, firmiter assentitur omnibus, quæ DEVS reuelauit, & nobis per Ecclesiam credenda proposuit, siue scripta illa sint, siue non sint. Ea breuissimè vocari potest, *Fides Christi*: hanc enim Fundamentum esse, & non aliam, docet. Paulus Apostolus in priori ad Corinthios, III. vbi sic planè architectonicè differit Sapiens Architectus: *DEI ædificatio estis: Secundum gratiam DEI, quæ data est mihi, vt Sapiens Architectus Fundamentum posui: alius autem superædificat. Vnusquisque autem videat, quomodo superædificet. FUNDAMENTVM enim aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est CHRISTVS IESVS.* Pleriq; Græci Codices habent, *Qui est Christus: editio Romana, Quod est Christus, vt referat fundamentum.* Dum autem dicit Christum esse Fundamentum, intelligit, vt exponunt D. Chrysostomus, Theophylactus, & alij, *FIDEM CHRISTI*, seu in Christum IESVM Saluatorem, secundam doctrinam Evangelicam.

ARTICVLVS II.

FIDES

Quia Hypostasis, & Substantia rerum sperandarum, est Fundamentum ædificij Spiritualis.

FIDEM Fundamenti titulo exornasse Gentium Doctorem Paulum in celebri sua Fidei definitione, Hebræorum XI. haud ambigo. *Est Fides, inquit, sperandarum Substantia rerum.* Non me latet, distrahi Interpretes, dum coniecturis agunt, quidnam significauerit Apostolus, nomine *Substantia*, Græcè, *υπόστασις*. Nam quidam accipi putant *Substantiam* pro possessionibus & opibus. Quomodo legitimam suam designans, dicebat *filius*

filius prodigus, Lucæ xv. *Da mihi partem substantiæ, quæ me contingit.* Et pater diuisit filijs duobus substantiam. Sed ibi, vt Maldonatus obseruat, est *ἐπίαις*, cuius vis eadem est, quæ *ἐπίαις*, ad significandū facultates tales quas etiā *ἐπίαις*, & *ἐπίαις* nominant. Sic Actuū II. *Possessiones & substantias vendebant fideles, & diuidebant illa omnibus, prout cuiq; opus erat.* Et sanè nullæ sunt maiores diuitiæ, nulli thesauri, nulli honores nulla, nūdi huius maior est substantia, quàm FIDES CATHOLICA, quæ peccatores homines saluat, cæcos illuminat, infirmos curat: catechumenos baptizat, fideles iustificat, penitentes reparat, iustos augmentat, martyres coronat. Vt verè, pieq; perorat August. (a) Interpretationē tamen illam non esse genuinam, licet magnæ sint diuitiæ fidei, quidam asserunt: (b) quod nomen hypostasis non soleat accipi, vt Latinum Substantia: nihilominus bonus auctor Iacobus Valentia in Psal. xxxvi II. vers. 8. *Substantia mea apud te est*, hypostasim accipi etiam pro facultatibus adfirmat: quod non improbat in Græcis Latinisque doctissimus Ioannes Lorinus. Alij vsurpari existimant in descriptione illa fidei, Substantiam, pro *Essentiâ*, vt significantur, per Fidem res, quæ sperantur, & in se non subsistunt, iam esse; & subsistere: nimirum, in corde illius, qui credit, ac certas illas habet, non secus ac si re ipsa subsisterent, & in rerum natura essent. Quæ communis est Græcorum expositio: qui *ἐπίαις*, pro subsistentiâ positam volunt. Siquidem, quæ sunt in expectatione, quia nondum adsunt, neque apud nos existunt, videntur expertia subsistentiæ, quam illis fides quodam modo largitur: nam efficit, vt aliqua ratione existant, & sint præsentia, eo ipso quod credantur veræ, nec dubitari possit, fore aliquando præsentia. Nonnulli tamen ita interpretantur, *Est Substantia*, id est, inchoatio quædam speran-

(a) S. Aug. Ser. I. de Ver. Apost. (q) Ioan. Malder. 22. q. 4. ar. 1.

sperandarum omnium. Quod S. Thomas (a) insinuat. Multi (b) exponunt *substantiam*, ad eum modum, quo Philosophi in Logica agentes de prædicamento substantiæ: nempe, quod substat accidentibus. Vt velit Apostolus, à Fide ita dependere res sperandas, sicut à substantiâ.

VERVM lenissima, maximèq; ad Pauli Apostoli sensum videtur eorū explanatio, qui substantiæ nomine intelligunt fulcimentum, basim, Fundamentum. Quem admodum enim parietes constitui non possunt, nisi inædificentur fundamento, à quo fulciantur, & sustententur; ita in aliâ vitâ, nihil prorsus sperandū expectandum quæ relinquitur, nisi Fides omnē nostram spē, vt Fundamentum parietes, firmam reddat, atque stabiliat. Quare rectè D. Anselmus in epistolam ad Hebræos: Propriè dicitur Fides esse substantia sperandarum rerum, quoniam ijs substat. quid hoc est aliud, quàm, velut fundamentū ijs substerni? Ita videtur sumere idem nomen Apostolus ad Hebr. iii. 4. *Participes Christi effecti sumus, si tamen initium substantiæ eius, vsq; ad finem firmum retinemus.* Certè, pro *Substantia* Græcè est *ὑπόστασις*. Nec aliter accipiendum, quod est psalmo xxxviii. *Substantia mea apud Te est.* Vbi LXX. habent *ὑπόστασις*, & volunt indicari, DEVM esse Fundamentum, ac firmamentum nostrum, vt est psalmo xxvii. 3. *Dominus firmamentum meum & refugium meum.* Eodem modo, Psal. lxxviii. 3. *Infixus sum in limbo profundi, & non est Substantia, ὑπόστασις: hoc est, solidum Fundamentum, cui niti possim ac inhærere: denique, Psal. lxxxviii. 48. Memorare quæ mea substantia.* Hac ratione, Fidem dici substantiam D. Bernardus planè sentit; dum Sermone x. in psalmum, *Qui habitat*, ait, non magis possibile esse super inane pingere (hoc est) sine funda-

(a) 2. 2. quæst. 4. art. 1. (b) Valentia 21. dup. 1. q. 4. puncto 1.

fundamento, quàm non credita sperare. Fides igitur Fundamentum est Spei, & omnium virtutum sublequentium. Idem disputans contra Abailardum Hæreticum Epistola cxc. Non licet, inquit, tibi in fide putare (videlicet, arbitrari, ac opinari pro libitu) non hac illacq; vagari per inania opinionum, per devia errorum. Substantiæ nomine aliquid tibi certum fixumq; præfigitur: certis clauderis finibus, certis liminibus coarctaris. Et S Chrysoſtomus in illud secundæ ad Corinthios quarto, Habentes eundem Spiritum fidei, Sicut, ait. planta absq; radice fructû non profert, ita absque FIDEI FVNDAMENTO, non prouenit sermo doctrine. Quemadmodum etiam membra tremula & languida, baculo deducente non permittuntur labi: sic animam nostram incertis ratiocinationibus circumactam, FIDES quouis baculo tutius SVSTINENS, & sustentans, suaq; vi reficiens summoperè firmat, nec sinit subuerti infirmas cogitationes sua virtutis præstantia corrigens.

AB hac FIDEI, quæ FVNDAMENTVM est DOMVS DEI, firmitate, ac CONSTANTIA, laudem habet, post ROMAM, inter omnes, non Imperij modò, sed penè Orbis vniuersi Vrbes COLONIA AGRIPPINA, de qua illud meritò cantatur:

Postquam FIDEM suscepisti

Ciuitas prænobilis,

Recidua non fuisti

Sed in FIDE stabilis.

Vnde est ista perigraphæ Sigilli ciuici metropoleos

Sancta Colonia Romana Ecclesiæ

Fidelis filia.

De qua aliàs actum est à nobis, ageturque suo tempore copiosius, nunc hoc tantum subtexo, Maiores nostros,

Parti Secundæ.

R

viros,

viros laudatissimos posteris imposuisse necessitatem
nunquam deserendi virtutem illam, quæ auis ab auisque
laudem peperit apud omnes gentes, ad quas CON-
STANTIA in asserenda Fide Catholica Colonienſium
peruenit, sempiternam.



SERMO II.

FIDES

Cum Fundamento variè comparatur:

QVIA

Fidei cum Fundamento domus est Conuenientia
multiplex.

*Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id, quod possum
est, quod est Christus IESVS, I. Corint. III. II. id est,
Fides in Christum IESVM.*

ARTICULUS I.

PRIMA CONVENIENTIA

inter Fidem & Fundamentum est, esse Primum & Initium



QVOD in arbore est radix, in columna ba-
sis, in naui carina; quorum idcirco prima
debet esse cura, in plantando, statuendo,
fabricando, id in domo est Fundamen-
tum: quo benè ac feliciter iacto, cantari
potest Architectus,

Dimi-